



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Antidota Evangelica contra horum temporum hæreses**

**Stapleton, Thomas**

**Antverpiae, 1595**

In Marci Cap. 15.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-39546**

## IN MARCI CAP. 15.

39. *Videns Centurio quia sic clamans expirasset, ait: Verè hic homo filius Dei erat.*

**E**XPONENS hæc verba Calvinus, ait non insolitum tantum vigorem qui ad mortem sive integer perstitit, sed potius constantem in Dei nomine inuocando perseverantiam à Centurione laudatam fuisse. Vtunque hic posterior sensus minus probabilis videatur, quum hic Centurio homo gentilis & incredulus de perseverantia in Dei nomine inuocando parum sollicitus fuisse videatur, & altera expositio prior omnium ferè interpretum communis sit, & literæ conformior, quando ille clamor ab Evangelista notatus non de inuocatione sed de ipsa expiratione Christi loquatur (ait enim Marcus, *Emissa voce magna expiravit: videns autem Centurio quòd sic clamans expirasset, id est, tam firmis lateribus & tanto corporis vigore quasi adhuc integer animã posuisset*) tamen huiusmodi est, ut à Caluino tanquam verior delectus, contra aliam Caluini blasphemiam circa Christi Passionem imprimis faciat. Si enim constantem in Dei nomine inuocando perseverantiam Christus tenuit, quod haud dubiè est verissimum, quomodo in verbis Christi paulo præcedentibus, *Deus meus, Deus meus, quare me deliquisti?* vox desperationis Christo elapsa est, & horrore correptus quasi Deo aduerso iam esset exitio deuotus illa verba protulit, quæ omnia & terriora Calvinum Christo affingere ad illa verba super Matthæum declarauimus? Hæc ipsa Caluini confessio ad alteram illam blasphemiam

Caluini  
blasphemiam  
ex seipso re-  
futata.

Ad  
Matth.  
cap. 27.  
ver. 47.

Gg 3 miam



miam eius refutandam sola sufficit. Illa quoque alia hominis impij verba, quibus ait, illa Marci verba tractas, *Pater, omnia tibi possibilia sunt*, Christo in horro oranti nihil spei fuisse, *ut in rebus deploratis fieri solet*, ex eadem hac eius confessione luculenter refutantur. Si enim constans in Christo erat in Dei nomine inuocando perseuerantia, profectio semper erat in Christo spes firma (neq; enim Dei nomen inuocat, qui non sperat) falsumq; & blasphemum est, *nihil spei Christo fuisse, sicut in deploratis rebus fieri solet*, quum in horto Patrem inuocaret. Ita ad Caluini blasphemias refutandas ipse nobis Calvinus sufficit: quia aliqua interdum vera etiam mendacissimus loquitur, & suorum alioqui mendaciorum magistri mendaces parum sunt memores.

## IN MARCI CAP. 16.

16. *Qui crediderit & baptizatus fuerit, saluus erit.*

**R**EPETIT hoc loco Calvinus perniciosam illam doctrinam suam quam ad Matth. cap. 28. tradiderat, quod & illo loco annotauimus, contra baptismi à Christo instituti fructum ac necessitatem. *Tenendum (inquit) est, non ita necessarium requiri ad salutem baptismum, ut perire necesse sit quicumque eum adepti non fuerint. Neque enim hic fidei adiungitur tanquam dimidia salutis causa, sed ut testimonium. Fateor quidem hominibus necessitatem imponi ne signum gratie Dei negligant; sed quamuis pro eorum infirmitate talibus adiumentis utatur Deus, obstrictam esse eius gratiam nego. Hoc modo non simpliciter necessarium esse dicemus, sed tantum obedientie nostrae respectu. Hæc ille. Si quæ contra necessitatem baptismi scribit, aperte in adultis tantum locum habere significasset, quos a liquando in Christum credentes, & baptismum toto corde expetentes, necessitas aliqua ex hac vita*

De necessitate baptismi.